



Joh. Frid. Liket.  
Halle Sax. 1750.

Apfhor **A 136**

M. C. v. L

zu OO

von Schaffter

af  
30  
DE  
COMMODIS

QVAE

E PACIFICATIONE WESTPHALICA  
IN THEOLOGIAM REDVN-  
DARVNT

PAVCA DISSERIT

SIMVLQVE

AD PROCLAMATIONEM SOLEMNEM  
TRIVM IVRIS VTRIVSQVE DOCTORVM

D. XVIII OCTOBR. MDCCXLVIII

INSTITVENDAM

PATRES ACADEMIAE VENERANDOS  
STVDIORVM OMNIS GENERIS FAVTORES ET PATRONOS  
CIVES ACADEMIAE GENEROSISSIMOS ET  
NOBILISSIMOS

DECENTER OFFICIOSE ET HVMANITER

INVITAT

IO. GEORG PERTSCH ICTVS

ACAD. IVLIAE CAROLINAE H. T. PRORECTOR  
SERENISS. DVVIS BRVNSVIC. ET LVNEBVVG. CONSILIARIVS  
AVLICVS CVRIAЕ PROVINCIALIS ADESSESSOR ORDINARIVS  
ORDINIS ICTORVM SENIOR ET NVNC DECANVS ATQVE  
AD HVNC ACTVM CLEMENTISSIME NOMINATVS  
PROCANCELLARIVS.

950







**S**teti iam olim in ea sententia, & adhuc  
illam propugno, veram religionem  
omnem respuere coactionem: Dis-  
sentientes nunquam turbare quietem  
& pacem publicam, sed turbas exci-  
tare illos, qui dissentientibus liberta-  
tem sentiendi negant; adeoque pacem  
aliter quam mutua tolerantia obserua-  
ri non posse. Conspirant hae propositiones cum doctri-  
na Christi, Apostolorum & primitivae ecclesiae. Quo-  
usque enim illa sub persecutionum iugo gemuit, haec  
semper propugnauit dogmata: Humani iuris & potesta-  
tis naturalis esse, vnicuique, quod putauerit colere.

A 2

Non

Non esse religionis, cogere religionem, quae sponte suscipi deberet, non vi. a) Ad irreligiositatis elogium concurrere, ubi adimere quis velit libertatem religionis, & interdicare optionem Diuinitatis, ut non liceret colere cuiquam quem velit, sed coactus sit colere quem nolit. b) Neminem imponere cuiquam posse necessitatem, vel colendi quod nolit, vel quod velit non colendi: Nihil hominibus relinqui, si etiam hoc, quod voluntate fieri oporteret, libido extorqueret aliena. c) Vim & iniuriam in religionis negotio exfulare, quia religio cogi non possit. Verbis, non verberibus agendum esse, ut sit voluntas. Longe differre carnificinas & pietatem; nec posse aut veritatem cum vi, aut iustitiam cum crudelitate coniungi. Nil tam voluntarium esse, quam religionem, in qua si animus auersus foret, iam sublatam eam, iam nullam esse. d) Defendam esse religionem, non occidendo, sed monendo; non faeuitia, sed patientia. Illam enim esse malorum, hanc bonorum, necesse vero esse, bonum in religione versari, non malum. Si sanguine, si tormentis, religionem defendere quis velit, illam sic non defendi, sed pollui ac violari. e) Neminem inuitum in aliqua religione esse retinendum; inutilem enim esse Deo, qui deuotione & fide careret. f) Ita argumentati sunt Doctores Christianae religioni addicti, quum vel nomen Christiani, in crimen sub Principibus gentilibus abiisset. Ex quo vero Principes se sacris christianorum sociarunt, freti horum

rum

- 
- a) TERTULLIANVS *ad Scapul. Cap. II.*  
 b) IDEM *Apolog. Cap. XXIV.*  
 c) LACTANTIUS *Inff. diu. Lib. V, Cap. 13.*  
 d) IDEM *ibid. cap. 19.*  
 e) IDEM *ibid.* f) IDEM *ibid.*

rum potentia, quam antea sibi adseruerant, tolerantiam, eam mox & Paganis, & Iudaeis, & dissentientibus circa quaedam dogmata, contra religionis indolem, plane denegarunt. In immensum excreveret oratio, si per saeculorum seriem rixas, odia, persecutiones, exilia, vulnera, caedes, immo bella & omnia mala, quae ex denegata tolerantia, indiscretus zelus excitavit, recensere vellem. Sufficit paucis dixisse: semper illos, a quorum partibus Principes steterunt, in eo fuisse, ut omni modo religionis quoddam monopolium exercerent. Sed haec me nunc non detinent. Ad ea potius progredior tempora, ubi opera LUTHERI, & studii & sanae doctrinae nova lux affulsit. Docuit cum suis affectis: patienter esse tolerandos dissentientes: secessum a coetu quodam externo, ob fonticas & graues causas factum, nec schisma, nec haeresin sapere. Omnem vim & coactionem, quantum ad religionem, & ex rationis dictaminibus & praeceptis Christi, & Apostolorum doctrina, & primitiuae ecclesiae praxi, penitus esse proscribendam & extirpandam. g) Ita calculum subdlexerunt, ubi ipsi cum addictis sedi Romanae res fuit. Ex quo vero CALVINVS quaedam, a Lutheri dogmatibus deuiantia publice docuit, & noua circa externum religionis exercitium suscepit; mox odia acerbissima, huius inter & Lutheri affectas, fuere orta. Creuerunt instar zizaniae. Quodsi tranquilla & sedata mente rem omnem diuidicassent viri illorum temporum, caeteroquin sagaces, facili negotio perspexissent, eam rem agi, ut coadunatis viribus sese Romanae ecclesiae ausibus, & technis opponerent; caeteroquin inuicem sibi mutuam tolerantiam,

g) Conf. LUTHERVS de Libert. Christiana. & SCYLTIETI Annal. Euang.

VI  
donec amicabili via dissensus componere possent, lubentissime concederent. Sed alia via incedere, congruum tunc duxerunt. Ad libertatem conscientiae proclamavit LUTHERVS, & hanc necessario indulgentiam esse, etiam Procures, qui ab illius parte steterunt, pronunciarunt. Contradixit omnis Clerus, sedi Romanae addictus. In Comitibus Wormatiensibus Ao. MDXXXVI celebratis, Archidux FERDINANDVS, Augusti nomine variis suasionibus eo adducere voluit Lutheri affectas, ut ad antiquam redirent religionem; sed intercessere Saxonis & Hassi Legati, ad conscientiae libertatem provocantes, & quiescere paullulum aduersariorum motus. h) Verum mox rursus in comitiis Spirensibus, Ao. MDXXIX conuocatis, eruperunt, & eousque creuerunt, ut ad conseruandam conscientiae libertatem, sex Principes & quatuordecim ciuitates, contra decretum comitiale, solemnem interposuerint protestationem, vnde postea nomen PROTESTANTIVM auditum fuit. i) Varia consilia Caesarem inter & Pontificem agitata, nouas huic liberati insidias struxerunt. Hanc vero non armis propugnandam, sed fiducia in Deum posita, spiritualibus saltem armis defendendam esse, Lutherus censuit. k) Indixerat AVGVSTVS Ao. MDXXX Comitibus & ipsum Lutherum ad urbem Augustam Vindelicorum euocauit. Exhibita tunc fuit Imperatori celebris illa *Confessio*, quae *Augustana* dicitur; sed licet illam acceperit, tamen indulgentiorem eum in Protestantes non praestitit. Condemnatus potius fuit Lutherus, banno subiectus, & omnis qui vindicem conscientiae libertatis agere voluit.

Adeo

h) Vid. SECKENDORFF *Hist. Lutber. Lib. II, §. 15. Addit. i. Lit. C.*

i) SCVLTEI *Anal. Euangel. ad Ann. MDXXXIX.*

k) Vid. IDEM *cit. I. ad Ann. MDXXXI.*



Adeo inde constrictum se vidit, vt vel manus dare AV-  
GVSTO, vel quaelibet tristia exspectare teneretur. 1) E-  
rupissent procul dubio dissidia, in belli flammas, nisi im-  
petus a Turcis imminentes. Imperatorem a via facti de-  
terrissent. Hinc pax quaedam temporaria & quasi pre-  
caria, Protestantibus Norimbergae Ao. MDXXXII hac  
ratione indulta fuit, vt tolerandi nec ob religionem li-  
berumque illius exercitium inquietandi essent, donec  
concilium congregandum controuersias omnes decide-  
ret. Hinc variae de conuocando concilio initae delibe-  
rationes, inter quas etiam foedus illud notissimum, sed  
fatale satis, puta Schmalcaldicum, Catholicis omnibus  
statim summpere odiosum, a quibusdam Protestantibus  
ictum fuit. Contra mox foedera pepigerunt Catho-  
lici; sed intercessit Rex Galliae, FRANCISCVS I, quo-  
minus armis aduersus Protestantes vteretur Imperator.  
Huius enim Regis tunc metuendus erat exercitus Impe-  
ratori, & hinc in Comitibus Spirensibus, Ao. MDXLIV  
conuocatis, plenior toleranciam Protestantibus in-  
dulsi. Sed temporaria saltem fuit & quum semina dis-  
cordiarum hinc inde sparsa, suspiciones & mutua odia  
passim producerent, in tantum mox creuerunt, vt vtra-  
que pars Ao. MDLVI. in armis praesidium & securitatem  
quaereret. Varia quidem fortuna fuit pugnatum; ast  
tandem eo res deducta, vt pace Passauiensi, Ao. MDLII  
libertas conscientiae & religionis, publico pacto firma-  
mentum acciperet.

Quum vero iam Lutheri tempore Andreas CARL-  
STADIVS Wittembergae varia in liturgicis immutasset,  
& in doctrina de coena Domini noua multa docuisset,  
de-

1) Conf. IDEM cit. I. ad. Ann. MDXXX.

deinde in Heluetia VLRICVS ZWINGLIVS, & IO. OECOLOMPADIVS contra Lutheri de eucharistia dogmata infurrexissent; & passim in Sueuia, Brisgouia, Alfatia & tractu Rhenano superiori adplausam, ducibus WOLFGANGOFABRICIO CAPITONE & MARTINO BVCERO meruissent, inter ipsos Reformatores funesta orta sunt certamina. Insurrexit dehinc in Silesia CASPARVS de SCHWENCKFELD, satellitem quodammodo CARLSTADII agens. Edidit librum de Sacramento, & LVTHERI doctrinam oppugnauit. Obicem ponere quidem his controuersis voluit Hassiæ Landgrafius, PHILIPPVS, indicendo Marburgi colloquium; sed quem sperauit finem, non obtinuit. Non tamen destitit hic Princeps in procuranda inter dissidentes vnione, ad quam ineundam ipse LVTHERVS operam attulit. Traxit etiam in suas partes & BVCERVM & alios; Sed Helueti persisterunt in sua sententia. Mortuo Luthero adparuerunt IO. CALVINVS, PETRVS MARTYR, IOANNES a LASCO, Eques Polonus, THEODORVS BEZA aliique, quorum doctrinæ in Heluetia, Gallia, Anglia, & passim in Germania, maximos habuerunt adplausus. Inde nomen Reformatorum, quod sibi adseruerunt, horum antesignanorum affectæ. Pacem inter LVTHERVM ipsum & Heluetiæ Theologos obseruatam & cultam, licet maximus in doctrina de sacra coena inter illos occurreret dissensus, cum vita Lutheri extinctam penitus deprehendimus. Noua enim orta certamina, de communicatione idiomatum, de prædestinatione, adeo alienarunt animos Augustanæ Confessioni addictorum a Reformatis, vt etiam olim tantoperè contra catholicos propugnatam conscientia libertatem, illis plane denegarent. Quum enim Ao. MDLV. Augustæ Vindelicorum illa pax, quæ religio

giofa dicitur, Catholicos inter & Augustanæ Confessionis confortes post varias concertationes conclusa esset, noluerunt hi, Reformatis consortium tolerantia concedere. Ita enim pacti sunt: Doch sollen alle andere/ so obgemeldten beyden Religionen nicht anhängig/ in diesem Frieden nicht gemeinet/ sondern gänzlich ausgeschlossen seyn. Insurrexerunt vbique contra Reformatos zelotæ e Lutheri affeclis, non solum pacem illis denegantes, sed & varias persecutiones excitantes. Creuerunt dissidia, postquam quidam Theologi Formulam Concordiæ Ao. MD LXXX. concinassent. Qui enim ex Augustanæ Confessionis confortibus PHILIPPI MELANCHTONIS principia probarunt, *Crypto Calvinistarum* titulo mactati fuerunt. Varia hi in Saxonia sub Electoribus AVGVSTO & CHRISTIANO primo, experti sunt fata. Tollere quidem voluit dicta Concordiæ Formula dissensiones & controuersias domesticas; sed consilio euentus non respondit. Creuerunt quippe non solum odia Reformatos inter & Lutheranos; sed & inter hos schisma excitatum & ecclesiæ non vnum vulnus inflictum fuit. In caussa fuere hæc odia, quod Elector Coloniensis GEBHARDVS e gente Truchfessorum de Waldpurg, Archiepiscopatu cedere se obstructum cerneret, destitutus auxilio Saxoniae Electoris vel ideo, quod ad Reformatorum, non vero ad Augustanæ Confessionis sacra transiisset. Cerre si tunc ex voto Gebhardo res cecidissent, quis dubitaret, quod plures Præsules, relicta catholica religione, Augustanæ Confessionis confortibus se sociaissent? Tunc procul dubio reseruatam illud, quod Prælatos religionem mutantibus, iuribus omnibus excidere iubet, quodque Imperator paci religionis inferendum curauit, m) delerur-

B

rur-

m) LHMANN *Act. Pac. relig. Tom. I, Lib. I. Cap. 13. 15. seq.*

rursus, saltem ne in tabulas pacificationis Westphalicae postea migrasset, præcaueri potuisset. Sed quam maioris nostri, quum Romanae ecclesiae sacris nuntium mitterent, contra Pontificios propugnarunt conscientiae libertatem, eam non solum conculcarunt, ubi cum Reformatis res illis fuit; sed & eo processit quorundam indiscretus zelus, ut ob leuem dissensum mutua inter se odia excitarent, persecutionisque spiritum proderent. n) Sed quam sic conculcarunt libertatem, & religionis securitatem, eam nec Pontificii amplius illis indulgere voluerunt. o) Varia mouerunt dubia, disputarunt de sensu pacificationis religiosae, unde orta moles controuersiarum. Sic mutua odia animos dissidentium magis magisque alienarunt. Præbuerunt deinceps motus Bohemici occasionem Pontificiis, sprete pace religiosam, armis oppugnare religionis libertatem; unde ortum illud bellum funestum, quod tricennale audit, quodque uniuersam Germaniam misere adflixit. Tandem vero peperit illam pacem, quae Westphalica dicitur. Per huius pacis tabulas omnes controuersiae circa religionem, tolerantiam & conscientiae libertatem antea motae, plene fuere decisae. Reformatis pariter ea indulta fuit tolerantia, quae Catholicis & Augustanae Confessionis confortibus tributa est. p) Id ipsum vero non sine difficultatibus factum. Intercessit nimirum Saxoniae Elector, q) & ad suggestionem Welleri, concionatoris aulici, aperte contra tolerantiam Reformatis concessam, protestatus est

n) conf. ARNOLD Kirch. und Keyer-Zist. Part. II. Lib. 16. cap. 31, §. 26. seq.

o) conf. LEHMANN cit. l. Lib. 2. § 3.

p) Instr. Pac. Artic. VII. §. 1.

q) PFANNER Hist. Pac. Westphal. Lib. V, §. 52.

est. r) In ea stetit sententia Wellerus: Electorem salua conscientia in formulam, quod ea iura & beneficia, quæ Catholicis & Augustanæ Confessionis consortibus fuerint concessa, etiam Reformatis competere deberent, consentire non posse. Vicit tamen iusta causa, & omnes motus circa conscientia libertatem fuere sopiti, sublato penitus in conscientias dominatu. Conculcatum fuit dogma pestiferum: Super tolerantia dissentientium pacisci non posse, propterea quod sic ipsa fides in pactum deduceretur. Adprobatio enim Religionis publica, tolerantia dissentientium, non separat verum a falso, nullam intellectui normam ponit; sed singulis priuatum sentiendi arbitrium relinquit. Hinc potest in sensu ciuili Religio quadam esse orthodoxa, quæ talis non est in sensu sacrae Scripturae; vicissimque heterodoxa in statu ciuili reputari, quæ nullo errore est contaminata. Tolerantia itaque adprobatarum religionum fuit sancita; & hoc tolerantia prædicatum, tam Catholicæ, quam Protestantium religioni in Instrumento pacis tribuitur. s) Sic in aprico est, æque Catholicos tolerari inter Protestantes, ac hi inter illos. Est tolerantia, sed talis, quæ ex lege publica deberur, adeoque nulla plane ratione impugnari potest. t) Tres potissimum religiones illa frui debent, Catholica, Euangelico-Lutherana, & Reformata. u) Ita Pacificatores tunc censuerunt, vbi Protestantes inter se, in duas abeunt partes. Alias de duabus saltem Religionibus adprobatis loquuti sunt, ita, vt Euangelico Lutherani & Reformati ex vna, Catholici vero ex altera parte starent. Hinc mentionem faciunt Statuum

B 2

vtri-

r) PVEFENDORFF in *Hist. de Reb. Brandenb. Lib. II, §. 69.*

s) Instrum. Pac. Art. VII, §. 2. in fin.

t) conf. Instr. Pac. Art. V, §. 50.

u) Instr. Pac. Art. VII, §. 1, & 2. in fin.

vtriusque Religionis: w) Statuunt duas saltem partes, volentes, vt quod vni parti iustum sit, alteri quoque iustum esse deberet: x) Loquuntur de Proceribus vtriusque Religionis: y) opponunt Augustanæ Confessionis Imperii Status, Statibus Catholicis; z) Prætereaque de circulis mixtæ Religionis, a) de Commissariis ex vtraque Religione legendis, ordinant. b) In duas saltem partes diuidunt Ciuitates, quæ vel vni, vel vtrique Religioni addictæ c) in quibus proinde mixtum Religionis exercitium in vsu sit. d) Adfessores Camerae Augustanæ Confessionis, oppositos legimus in Instrumento super laudata pace confecto, Adfessoribus Catholicis; e) rursusque de Adfessoribus ex vtraque religione, f) vel vtriusque religionis, sermo ibi est. g) Porro occurrunt in illo Consiliarii, ex vtraque Religione: h) vtriusque Religionis Magistratus: i) Catholicorum, Augustanæ Confessionis addicti Status provinciales. k)

Nec alia loquela vsi sunt pacificatores, vbi subditorum rationem habuerunt. Hinc subditis Augustanæ Confessionis addictis l) generaliter prospexerunt, simulque his, Catholicos opposuerunt. m) De mixtis Episcopatibus, & locis immediatis, n) de Clero vtriusque Religionis: o) de Capitularibus & Canonicis vtriusque religionis

- 
- w) ibid. Art. V. §. 1. 2.      x) ib. Art. V. §. 1.      y) ib. Artic. V. §. 51.  
z) ib. Art. V. §. 9, 14, 15, 16, 19, 21, 22, 25, 26, 43, 46, 47, 48, 51, 52, 53, 54.  
Art. VII. §. 1.  
a) ibid. Art. V. §. 53, 54.      b) ib. Art. XVI. §. 4.  
c) ib. Art. V. §. 29.      d) ib. Art. V. §. 49.  
e) ib. Art. V. §. 53, 54, 56, 57.      f) ib. Art. V. §. 54.  
g) ib. Art. V. §. 56.      h) ib. Art. V. §. 55.  
i) ib. Art. V. §. 50.      k) ib. Art. V. §. 48.      l) ib. Art. V. §. 31, 48.  
m) ib. Art. V. §. 34, 35, 49.      n) ib. Art. V. §. 18.  
o) ib. Art. XIII. §. 4.

nis p) solliciti, Capitulares & Canonicos Augustanæ Confessionis, illis, qui Catholicam profitentur religionem, q) rursus opposuerunt, & id ipsum obseruarunt, vbi de videntibus in ecclesiis collegiatis, monasteriis, hospitalibusque mediatis, verba fecerunt. r) Liberum vbi Protestantibus Religionis exercitium vindicarunt, illud Augustanæ Confessionis exercitium dixerunt. s) Sic toties declararunt, pertinere Reformatos ad Augustanæ Confessionis consortium. Ne vero aliquid dubii superesset, claris & perspicuis verbis, illos addictos Augustanæ Confessionis dixerunt. En propria Pacificatorum verba: t)  
 „Vnanimi quoque Cæsareæ Maiestatis omniumque Ordinum consensu placuit, vt quicquid iuris aut beneficium cum omnes aliæ constitutiones Imperii, tum pax religionis & publica hæc transactio, in eaque decisio gravaminum, cæteris Catholicis, & AVGVSTANÆ CONFESSIONI ADDICTIS STATIBVS ET SVBEDITIS TRIBVNT, ID ETIAM IIS, QVI INTER ILLOS REFORMATI VOCANTVR, COMPETERE DEBEAT., Faciunt quidem Protestantes, vbi inter se considerantur, duas partes, & hinc etiam Ordinibus & subditis Regno Sueciæ cæsis, nominatimque Stralsundensibus, de libero Euangelicæ Religionis exercitio, iuxta inuariatam Augustanam Confessionem fuit prospectum: u) Id quod etiam intuitu Prouinciarum Electori Brandenburgico cæsarum, & a Regno Sueciæ restitutarum, factum fuit; w) Ast vbi Protestantes intuitu Catholicorum con-

B 3

con-

p) ib. Art. V, §. 20. 23.

q) ib. Art. V, §. 23, Art. XI, §. 1.

r) ib. Art. v. §. 26. s) ib. Art. v. §. 31.

t) ib. Art. vii. §. 1. u) ib. Art. X, §. 16. w) ib. Art. XI, §. 11. &amp; 12.

considerantur, duæ saltem partes, Catholicorum puta & Protestantium, seu Augustanæ Confessionis Consortium, in Imperio nostro occurrunt. x) Hinc Evangelico-Lutherani & Reformati (licet in ipsa Pacis exsequutione hoc potissimum nomine denotati fuerint, y) in comitiis coniunctim Corpus, vt dicitur, Evangelicum constituent, & in scriptis publica auctoritate euulgatis, nomine *der beyderseits Augspurgischen Confessions Verwandten* semper veniunt. Sic proscriptus est zelus indiscretus illorum Theologorum, qui olim Reformatos a consortio Augustanæ Confessionis excludere voluerunt. Sic videre etiam possunt illi, qui hodiernum Reformatos ceu extorres a Confessione Augustana considerant, quam absurde non nonsolum ineptient, sed & impudentissime saluberrimas dispositiones Instrumenti Pacis conculcent, & sic reuera crimen fractæ pacis publicæ committant. Hi boni viri, si saltem agnitionem veritatum theologicarum & articulorum fidei, ab approbatione Religionis publica secernerent, mox etiam deprehenderent, orthodoxiam aliter a Ictis, habito respectu ad statum civilem, aliter a Theologis, circa credenda & agenda occupatis, esse definiendam. Hoc si perpenderent, mox etiam perspicere possent, religionibus publice approbatis, nullam notam hæreseos inurendam esse, sed additos tali religioni, æquali cum reliquis, quos orthodoxos censent, iure gaudere, z) frui illos pace publica, a) nec non exercitio religionis & bonis possessis: b) exsulare

x) ib. Art. VII. §. I. conf. de MEIERN. *Act. Pac. Westph. Lib. L. §. 20.*

y) de MEIERN *Act. Pac. Execut. Lib. VIII. §. 15.*

z) vid. instr. Pac. Art. v. §. 35. a) Cit. Art. v. §. 1. & 14.

b) cit. Art. v. §. 14. 25. & 32.



lare proinde omnem conscientia coactionem, c) & illos qui ex lege publica tolerantur, nisi pacta Principes inter & Status prouinciales inita obtent, iure communi per omnia frui. Sic itaque in confesso est, crimina perpetrare illos omnes, qui dissentientes, quibus tolerantia debetur, vt hæreticos proscindunt. d) Qui sobriam profitentur Theologiam, a tali iniuria inferenda, plane sunt alieni. Incognita fuit in prima ecclesia, quousque sub persecutionibus gemuit, hæretificina, (sit venia verbo,) licet hæreses non defuerint. Esto etiam, quod dissentientes graues errent errores, quare illis propterea ius fraternitatis denegari debeat? ego quidem non video. Suffragatur mihi vel ipsa ecclesia Apostolica. Nonne enim opinionem, de necessaria legis Mosaicæ obseruatione, Apostolus PAVLVS vt grauem depinxit errorem? e) Nonne vero nilominus illi e gente iudaica zelotæ, veri fuerunt fideles? f) Sic itaque errores, vt vt graues, non obsunt, quominus quis verus Christianus esse possit. Tyrannicum illud imperium in conscientias, quod olim illi exercuerunt, qui dissentientes tolerare noluerunt, immo omnes, qui fidei suæ formulariæ per omnia adfensum præbere noluerunt, pœnis aliisque malis adficiendos censuerunt, prostrauit Pacificatio Westphalica. Vires quidem subinde resumere & quasi recrudescere nonnunquam voluit; ast intercessere Principes, & singuli, & coniuncti in Comitibus, frenis & capistris aptis, lasciuas has compescentes. Qui hodie prudentes sunt

re-

e) ib. § 16.

d) conf. Dn. PFAFFII *Orig. iur. eccles. pag. 219. Lit. f.*

e) Gal. III, 10. IV. 9. v. 1, 4.

f) Act. xv. iunct. Act. II, 42. 47. IV. 31. ad 35.

rerum aestimatores, omnes agnoscunt, cedere in opprobrium & detrimentum religionis, ubi illam via armorum & persecutionum propagare velimus.

Est etiam Ictorum officium, cauere diligenter, vt Religio, vrpote Iure Gentium libera, libertatem suam intemeratam conferuet.

Hæc præmittenda duxi, quum in eo constitutus sim, vt tres Iustitiæ Sacerdotes creem. Referre debent Icti omnia ad internam reipublicæ tranquillitatem, & vt illa recte gubernetur; proindeque etiam curare ne proficiat zelus indiscretorum, frenis remotis. Hos, quos pro ea, qua nunc polleo facultate, iuris vtriusque Doctores publico & solemnî ritu creare constitui, tales cognoui, vt nomen Ictorum omnino rueri possint. Dabo proinde nomina, quibus cognitis vera me dixisse, omnes, qui hos viros noscunt, largientur. Proclamandi quippe sunt

DN. FRANCISCVS DOMINICVS  
HAEBERLIN,

HISTORIARVM IN ALMA NOSTRA IVLIA CAROLINA PROFESSOR ORDINARIVS.

DN. CHRISTOPHORVS ISENBART,  
ORDINIS ICTORVM HVIVS LOCI ADSESSOR, IN SVPREMIS  
DICASTERIIS GVELPHERBYTANIS ADVOCATVS ORDINARIVS  
ET CONSVL SEDIS NOSTRARVM MVRSARVM.

DN. IOANN. FRIDERICVS EISENHART,  
IVRIVM IAM LICENTIATVS ET FACVLTATIS IVRIDICÆ  
ADIVNCTVS.

Pri-

Primus, H A E B E R L I N V S noster, Grimme-  
 fingæ, vico non longe a celeberrima vrbe Vlma distante,  
 natus die XXXI. Jan. 1720. patre IOHANNE IACO-  
 BO, cive Vlmano & dicti loci tunc pastore, matre vero  
 ANNA ELISABETHA, celeberrimi Theologi CON-  
 RADI DIETERICI pronepte, quæ vero, vbi noster vix  
 vnum annum natus erat, e vita migravit. Patrem  
 vero adhuc superstitem, nunc pastorem in pago Grofs-Süs-  
 sen, in territorio vrbis Vlma sito, veneratur. Nactus est  
 post obitum matris nouercam ANNAM MARIAM e  
 clara inter eruditos CELLARIORVM familia oriundam.  
 Hæc tenellum nostri animum statim formare & ad bona  
 quæque adhortari coepit; pater vero ipse illum in pri-  
 mis rudimentis instruxit. Postea credidit nostrum affi-  
 ni, FRANCISCO DOMINICO KNAVSSIO eiusque  
 vxori ANNAE CATHARINAE natæ HAEERLIN ceu  
 germanæ suæ sorori. Fuit dictus KNAVSSIVS Centurio  
 cohortis militum præsidiariorum reipubl. Vlmanæ, &  
 nostrum primitus domesticæ instructioni commisit,  
 postea vero publicam vt scholam frequentaret, voluit,  
 in qua etiam a secunda vsque ad septimam seu supre-  
 mam classem ascendit. Admissus dein fuit in amicitiam  
 liberorum Consulis reipubl. Vlmanæ, Domini MARCI  
 ANTONII KRAFFT de DELLMENSINGEN, qui  
 nostrum propter liberale ingenium mox adamare cœ-  
 pit, & auctor fuit, vt variis beneficiis & Stipendiis or-  
 natus fuerit. Anno 1735. relicta schola Gymnasium Vl-  
 manum frequentare cœpit, quum antea orationem de  
*principibus semisecularibus* recitasset. In Gymnasio au-  
 diuit FRICKIVM, ALGOEWERVM, FAVLHABE-  
 RVM, HERTENSTEINIVM Patrem, SPANIVM,

C

WEY-

## XVIII

WEYHENMEYERVM, STOELTZLINVM, WOERHLINVM, BECKIVM. Inprimis notari debet, quod iam tunc HERTENSTEINIO *Filio* institutiones Iustinianas interpretanti sedulo adfiterit, & Bibliothecam publicam sæpius frequentaverit, nec non declamando disputando, opponendo vires suas exercuerit. Salutavit dehinc A. 1739. tempore Paschali Academiam *Georgiam Augustam*, quæ Gœtingæ floret. Elegerat Studium Theologicum omnesque eius partes auscultavit apud S. V. FEVERLINVM & OPORINVM. Quum Linguas Hebraicam & Græcam iam in Gymnasio patrio familiares sibi reddidisset, priuata modo Philologiam S. tractabat industria, GESNERI cæterum scholas in N. T. frequentans. Omnem Historiam vero quum potissimum amaret, ducem sibi elegit KOELERVM, a cuius ore per integrum fere septennium, & Studiosus & Magister, pependit & eius etiam prælectionibus numismaticis diplomaticis, heraldicis, in ius publicum, statusque Europæ notitiam interfuit. Interfuit etiam prælectionibus TREVERI ad ius naturæ, ad ius publicum & feudale institutis. GEBAYERVM porro historiam iuris & Institutiones Iustiniani interpretantem audiuit, & REINHARDI prælectiones ad ius canonicum habitas frequentavit. Tempus, quod alii animi recreationibus indulgent, euoluendis optimis libris tam e publica quam priuatis bibliothecis sibi commodatis consumpsit. Propositum dehinc iniit, omnem vitam in Academiis consumere, quod propositum inde robur accepit, quod duo nobiles, Danus vnus, alter Megapolitanus, suæ se committerent priuata institutioni. Ambiit itaque gradum Magisterii & d. 17. Sept. 1742. a KOELERO tunc Decano illum obtinuit. Aperuit

ruit abhinc ipse scholas, a quo vero instituto paullo post ideo auocatus fuit, quod illustrissimus L. B. de FORSTNER illi sub initium anni 1743. ephoriam *Filii* sui vnici concederet. In hac Statione cum generosissimo Dn. Barone variis Collegiis iuridicis apud GEBAVERVM & SCHMAVSSIVM interfuit. Addidit etiam Linguas Anglicam atque Italicam, Gallica iam ante sibi familiari reddita. Cum autem hic Baro suæ curæ commissus abitum ex Academia meditaretur, ipse etiam de discessu suo cogitauit, & iam tunc nostras musas salutare voluit. Intercessere vero nonnulli Fautores & Patroni, eoque deducta res fuit, vt Consilium regio Electorale Hannoueranum sanctius illi annuam pensionem centum imperialium gratiose concederet, & ordo philosophicus illi Assessoratum vltro & gratis offerret. Ordini itaque Philosophico d. 16. Sept. 1745. adscriptus totum se studiis academicis dicauit, & non solum scholas denuo aperuit, verum etiam variis publicatis scriptis ostendit, quod in historia omnis generis sit versatissimus. Fama sic parta, etiam ad nostras oras pertingens, effecit, vt nostro NVTRITORI CLEMENTISSIMO a nonnullis commendatus fuerit. Hic noster Princeps proinde HAEBERLINVM *Gættinga* auocauit, & munus *Professoris Historiarum extraordinarii* gratiosissime obtulit. Paruit vocationi & relicta *Gættinga*, in qua studiorum suorum matre per septennium commoratus erat, anno 1746. circa pascharos festum ad nos venit. Introductus in senatu, licet saltem extraordinarii titulo insignitus, tamen iuxta Principis nostri iussum & in Consistorio Academico & in philosophica Facultate votum & sessionem obtinuit. Mortuo nostro KIPPINGIO,

xx

m. Nou. anni elapsi *Professor historiarum ordinarius* creatus, a DVCE nostro etiam salarii augmentum clementissime accepit. Legit thori sociam virginem lectissimam CATHARINAM MARGARETHAM, IOHANNIS FISCHERI mercatoris apud nos celeberrimi & ANNAE ELISABETHAE, natæ GAGELIAE, filiam primogenitam, cum qua die vigesimo Iulii an. 1747. nuptias felicissimas celebrauit. Quum iam olim lectionibus iuris in *Georgia Augusta* ad iuris omnes partes sedulo interfuerit, historiaeque nostræ Germaniæ cum iure publico S. R. I. arcto vinculo sit connexa, & iam post KIPPINGII obitum scholas ad Ius publicum habendas indixerit & non sine applausu illas iterato aperuerit; inuit consilium, de impetrandis in utroque iure summis honoribus. Mihi tunc, uti nunc, Decano, desideria sua explicuit & hinc ordo noster illum iam ante semestre pro explorandis viribus ad Colloquium admisit. Probata deprehendimus illius doctrinam, dignumque illum iudicauimus, qui Gradu & dignitate Doctoris ornatur. Inclaruit uti omnes scimus iam multis scriptis quorum Catalogum hic addere vix incongruum erit. Publicavit nimirum

1737.

- 1) *Iscequesve de Scholis Latinis & Gymnasio Vlmianorum*; Vlmia 1737. 4. 10. pl. Disp. Præside ANT. BECKIO in *Gymnasio Vlmiano* habita. Multis accessionibus hunc libellum postea auxit, novamque eius editionem meditatatur.

1738.

1738.

- 2) *Dissertat. epistol. ad I. D. KOELERVM, qua I. F. DE BAVMANN voluntarium Imperii consortium inter Frider. Austr. & Ludov. Bav. contra cuiusdam MANSVETI PETROPOLITANI obiectiones defenditur & ad eas respondetur*; Suobaci 1738. 4. 3½ pl.

1739.

- 3) *Catalogum Bibliothecæ Perill. Dn. RAYM. KRAFFT DE DELLMENSINGEN &c.*; Vlma 1739. 8. I. Alph. 15. pl. *Præfationem præmit notulasque ad pleniorum variorum Librorum notitiam facientes, hinc inde asperfit.*
- 4) *Notitiam Codicum MSS. Bibliothecæ Raym. Krafftianæ*; ib. eod. 8. 9. plag.

1740.

- 5) *Indicem Librorum ab inventa Typographia ad a. MD. excusorum in supplementum V. C. Maittairii Annal. Typogr. cum adspersis observatiunculis*; Vlma 1740. 8. 2. pl.
- 6) *Comment. hist. theolog. de ANTONIO ALBIZIO, Nobili Florentino, Card. Andreae ab Austria Consiliario intimo, eius conversione & Scriptis cum genealog. tum theologicis, cum præfatione S. V. FEVERLINI*; Gœttingæ 1740. 4. 18. pl. *Prodiit etiam cum titulo Disputationis, sub Præsædio S. V. FEVERLINI publice ventilata.*

1741.

- 7) *Lycei Atheniensis cum aîna Georgia Augusta brevem institutam comparationem*; ib. 1741. 4. 2. pl.

1742.

- 8) *Apologiam D. Sigismundi Imp. contra iniustas accusationes, eum datum a se Jo. Hufso saluum conductum temere violasse*;

C 3

*lasse*; ib. 1742. 4. 2½. pl. Hæc *scriptiuncula* multum invidia, quæ postea salutis ipsius fuit, illi conciliavit, præter omnem culpam atque expectationem.

- 9) *Elogium Johannis de Trocznowa cognomento ZISSKÆ Archistrategi Taboritarum formidabilis*; Diff. inaug. pro obtinendo *Magisterii* honore, *Præf.* Ill. I. D. KOELEKO habita; ib. 1742. 4. 9. pl.
- 10) *Disp. sst. Vitam, itinera & Scripta FR. FELICIS FARRI, Monachi Prædicatorii Conventus Vlmanni, ad illustrandam Hist. patriam*; ib. cod. 4. 4½. pl.

1743.

- 11) *Leben Herrn IO. GE. KEYSSLERS*, ext. in den *Göttingischen Zeitungen von Gel. Sachen* ad a. 1743. n. 66. p. 588. seqq.

1744.

- 12) *Vollständiges Register der denckwürdigsten Personen und Sachen, zu des H. Geb. JustitzR. GEBAVERS Leben und Thaten* K. Richards; Leipz. 1744. 4. 5½. pl.

1745.

- 13) *Diff. Gen. crit. I. de Familia Augusta Wilhelmi Conquestoris, Regis Angliæ, diplomatibus & optimis scriptoribus innixam*; Gœtt. 1745. 4. 7. pl. Prodiit etiam sub titulo: *Familie Augustæ &c. &c. - Particula.*
- 14) *Anmerkungen ueber die in Select. Jur. Publ. noviss. P. VIII. c. 16. befindliche Erörterung der Frage: ob die Crone Franckreich vor einen Erbfeind des H. R. Reichs zu achten seye*; 1745. 8. 7½. plag.
- 15) *Duas illustres Questiones J. P. primam num Extraneus possit eligi in imperatorem Rom. secundam num Reg. Cel. situdo, Ser. Pr. FRANCISCVS STEPHANVS, M. D. Hetrur. & D. Lothar. sic Princeps Germanus, aiendo discussas*; Göttingæ 1745. 8. 7½. pl.

16) De



- 16) *De diffidiis ex electione Lotbarii Sax. Imp. Germaniam turbantibus & nata inde a. MCXXXIV. Vlme per Henricum Magnan. Bavarie Ducem everstone*; Disp. pro Loco; ib. eod. 4. 8. plag. Et hac Disp. sub *Tractatus* titulo prodiit, Autorique splendidum *Ill. Reip. Vlmanc* munus conciliauit.
- 17) *Vnpartbeyische Betrachtungen über das Betragen der Krone Franckreich gegen die Krone Großbritannien in Ansehung des Prätendentens*; ib. eod. 8. 2. plag.
- 18) *Bequemer Göttingischer Univ. Schreib- und Hand-Calendar auf das Jahr Christi 1746. nebst einer bist. Nachricht von denen Kayf. Wahl- und Krönungs-Solennitäten, und dem iztlebenden Göttingen*; ib. 24. 1. plag.

1746.

- 19) *Kurzer Entwurf der Polit. Hist. des XVIII. Jahrhunderts, enthaltend die Geschichten aller Europ. Reiche und Staaten bis zu Ende des J. 1745. zum Gebrauch academ. Vorlesungen*; Hannover 1746. 8. 15. plag.
- 20) *Progr. I. de REIN. REINECCII, primi Historici Helmst., meritis in omnem Historiam ut & Academiam Juliam*; Helmst. 1746. 4. 3. pl. *Programma auspiale.*
- 21) *Abriss einer umstendl. Hist. der Pragmatischen Sanction von deren Errichtung bis auf den Todt Kayser Carls VI. als eine Probe eines grössern Werckes*; ibid. eod. 4. 4. plag.

1747.

- 22) *Gründliche Hist. polit. Nachricht von der Republik Gemua, den Ursachen ihres irzigen Schicksaals und umstendl. Beschreib. des letztern noch dauenden Aufstandes in derselben &c.*; Leipz. und Hannover 1747. 8. 1. Alph. 4. plag.

23) Zu-

23) Zufällige Gedancken von dem von der Krone Franckreich in dem irzigen Feldzug in den Niederlanden begangenen Polit. Fehler, und der hiedurch verursachten Erbēb. des Pr. v. Oranien zur Würde eines Statthalters, General Admirals und Capitains der Verein. Niederlande &c. 1747. 4. 14. plag.

24) Ehrengedächtnißs Herrn F. D. Knauffens, seines wohlthätigsten Pflegvaters, bestehend in der Beschr. dessen Lebens, 64. übriger Kriegsdienste und Vertritts zur Evang. Religion; Helmst. 1747. 4. 9. pl.

1748.

25) Vollständiger Entwurf einer polit. Hist. des XVIII. Jahrhunderts, enthaltend die Geschichten sowohl aller Europ. Reiche und Staaten überhaupt, als auch insbesondere des Teutschen Reichs bis gegen Ende des J. 1748. Zweite durchgehends vermehrte, mit tüchtigen Beweissth. und benoeth. Stammtafeln verschene Ausgabe. Erster Theil. Hannover 1748. 8. 2. Alph. 5. plag.

26) Zufällige Gedancken und Erläuterungen über die Aachische Friedens-Präliminarien; 1748. 8. 221. plag.

27) Venerandum vetustatis monumentum, sßens STATUTA SVSATTENSIA LATINA, Sec. XII. in literas redacta diu expetita, ex originali summa cum fide atque cura descripta, & addito Specim. annotat. iuridic. historicar. etymologic., ceu Prodromo prolixioris Commentarii, primum in lucem edita; Helmst. 1748. 4. 6. plag.

28) De lite inter Ser. Domus Bavar. & Palatin. super exercitio Vicariatus Rhenani. Disp. inaug. pro consequendis summis in V. I. honoribus; ib. eod. 4. Prelo parata sunt, eique ex parte proxime subiciuntur Scripta sequentia:

29) G7-

- 29) *Genealogische Deduction, das aus dem Allerdurchl. Haus Oesterreich alle hohe Potentaten Churf. und Fürsten in Europa herkommen. Tabulis genealogicis integrum Scriptum absoluitur.*
- 30) *Das gelehrte Vlm, enthaltend die Lebensbeschr. berühmter Vlmer, von den ältesten bis auf gegenwertige Zeiten, VI. Theile. Has Biographias civis adhuc Gymnasi Vlmani conscripsit, postea eas in Academiis degens reuidit & perpoliuit.*
- 31) *Index absolutissimus in Bibliothecam Burckardianam, cum Prefatiuncula.*
- 32) *Vollständiger Entwurf der Polit. Hist. des XVIII. Jahrhunderts &c. II. Theil. Proximis nundinis Lipsienfibus vernalibus in lucem emittetur.*
- 33) *Fasciculus Rerum Hanseaticarum, continens Priuilegia Regum Angliæ, Daniæ, Norwagiæ & Sveciæ aliorumque Hanse Teutonicæ olim concessa, vt & variæ Hanse ordinationes, confederaciones &c. Omnia adhucdum inedita, breuibus notulis iullstrata, in Supplem. præstantiff. Collectionis Rymerianæ & Chronici Hanseatici Willebrandini. Tomi III. vel IV.*
- 34) *Bibliotheca Conradinæ Pars I. continens Libros Theologicos & Iuridicos, secundum seriem materiarum digestos. Prohibet proximis nundinis vernalibus Lipsienfibus.*
- 35) *Hanc excipiet Bibliotheca Conradinæ Pars II. continens Libros Medicos, Historicos, Philosophicos, Philologicos, vt & MSS. nonnulla, cum præfat. & Indicibus necessariis &c.*
- 36) *Disp. gen. crit. II. III. & IV. de Familia Aug. Wilhelmi Conquest. R. Angliæ; v n. 13. Opera affecta, sed nondum ad umbilicum perducta:*
- 37) *De meritis Academiæ Iulie in Historiam Tr. systemat. exhibens vitas Professor Histor. a condita hac Academia.*
- 38) *Der hist. polit. Nachricht von der Republik Genua II. Theil.*

- 39) IO. LVDW. GOTTFRIEDS *fortgesetzter Historischen Chronick &c. III. Theil.* Hoc opus res in orbe ab a. 1660-1749. gestas describens, sumtibus PHIL. HENR. HVTTTERI, Bibliopole Francofurt., intra biennium, vti sperat, publici iuris fiet.
- 40) *Statuta Susattensia Latina, tam duplicia Latina, quam aeque duplicia germanica, prolixo Commentario illustrata, praemissa tractatione de antiquo & hodierno Urbis Susati Statu politico & historico.* 4.

Secundus, ISENBART lucem aspexit anno huius seculi decimo sexto d. 31. Iulii Gesmoldiae nobili castro in Episcopatu Osnabrugensi sito. Patrem habuit GEORG. CHRIST. ISENBART, Praefectum L. B. de HAMMERSTEIN; matrem MARGARETAM, filiam CONRADI HEINRICI VOGEL, ministri ecclesiae Diepholtzensis. Prima religionis praecipua a parentibus & deinde domestico praecipua illi fuere instillata. Prima etiam studiorum rudimenta sub hoc praecipua posuit. Depositis vero tyrocinii rudimentis, adiit in Gymnasium Osnabrugense ibique Ductoribus GÖTZIO, KÖCHERO, PONATO & FORTLAGIO per quadriennium literis humanioribus incubuit. Hoc exacto, rursus per biennium in Gymnasio Hildesienfi Scholis PANTZERI, SPRENGERI & SCHEFFELII interfuit. Tandem ad altiora tendens nostram salutavit Academiam, & iuris studio mancipatus, per biennium docentes audiuit KRESSIVM, de GOEBEL, CONRADI. Nostris musis relictis, visitavit Gettingenses, & per anni tempus praelectionibus REINHARTI, SCHMAVSI, SENECKENBERGII, AIRERI aliorumque interfuit.

Con-

Consummato cursu studiorum, iussu parentum, iam pie defunctorum, Guelpherbitum ea de causa adiit, ut ibi in causis forensibus perorandis periculum faceret. Ducem elegit harum rerum gnarissimum, nostrum LICHTENSTEINIVM, tunc Aduocatum & causarum patronum celeberrimum, quippe qui & agendo & cauendo & consulendo munere suo egregie semper functus est. Ab hoc satis tinctus, ipse in foro adparuit, & prouidum & felicem patronum egit. Fama sic parta percubuit, proindeque & Principem nostrum clementissimum eo adduxit, ut mandata dicasteriis superioribus, tam Cancellariæ, quam Iudicio aulico dederit, reciperent ISENBARTIVM in numerum Aduocatorum. Quum Princeps noster, huius ciuitatis regimen in iustiorem ordinem reducere congruum duceret, legit hunc virum, creauitque illum consulem. Venit huc A. MDCC XLIV, Coniugemque, quam iam Guelpherbyti sibi iunxerat, SOPHIAM HEDEWIG, Filiam BURCHARDI MARTINI HVET, Potentissimo Prussiae Regi olim a Consiliis Commissionum, secum adduxit. Quam egregie hic res suas egerit, nemini nisi rerum ignarissimo, potest esse ignotum. Inde etiam euenit, ut Princeps noster, sagacissimus ingeniorum arbiter, eum ante duos menses, Adfessorem ordinis Ictorum his legibus creauerit, ut tam publice praxin forenses alios docere, quam in ferendis sententiis & opem ferre iuris Antecessoribus, & iure suffragii gaudere deberet. Iam introductus a me, ea tamen lege, ut ad Doctoris dignitatem consequendam properaret, nunc in eo est, ut illa ornatur. Ad laudem illius teneor testari, me iam satis

XXVIII

cognouisse, quod etiam vasta actorum volumina dextre euoluere, iudiciose trutinare, iustamque sententiam concipere possit.

Tertius EISENHARTVS natus fuit, Spiræ Nemetum die XVIII. Octobris Anno MDCCXX. patre JOANNE BURCHARDO EISENHART reipublicæ patriæ a secretis & tabularii publici præfecto, cuius tamen auxilio iam ante nouem annos priuatum se vidit. Matrem habuit MARIAM JOANNAM natam GRAFFIAM, quam iam ante patrem amisit. Auis paternus illi fuit JOANNES EISENHART in nostra Academia quondam iurium professor ordinarius; auia paterna autem PHILIPPINA MARIA CHRISTINA, HULDERICI ab EYBEN in supremo per Germaniam camerali iudicio Assessoris filia. Maternum auum habuit GEORGIVM FRIDERICVM GRAFFIVM Serenissimo Principi Nassouiaë a Consiliis. A tenera ætate litteris dicatus, religionis & liberalium artium fundamenta iecit, opera magistrorum in Scholis inferioribus docentium; postea in Gymnasium patrium missus, fidelissima institutione doctissimorum virorum JOANNIS CHRISTIANI FEISTKOHL Rectoris, JOANNIS GEORGII LITZELII Conrectoris, & JOANNIS CHRISTOPHORI WCHERERI, qui tunc classis terciæ præceptor erat, nunc vero cætus Pfortzheimensis pastor est vigilantissimus, vsus fuit. Anno MDCCXXXIV. stipendio Silemanniano, beneficio Venerabilis Academiae Juliae Carolinae Senatus; cui suprema eius tutela mandata est, ditatus, exacto adhuc in

in laudato Gymnasio quinquennio, valedixit huic Scholæ, recitata ex more oratione, *de factis vrbis Spire* in noſtram Academiam commigravit. Ciuum numero inſcriptus fuit Proreſtore B. REVSCHIO eloquentiæ & poëſeos Profeſſore Excellentiffimo, beneficii Silemanniani curatore, quem in humanitatis ſtudiis, vt etiam eius in ſingulis muneribus ſucceſſorem Excellentiffimum atque Ampliffimum BREITHAVPTIVM ſecutus eſt. In ſtudiis philoſophicis atque mathematicis ab ore Excellentiffimorum atque Ampliffimorum Virorum KEVFFELII ac FROBESII pependit; in hiſtoria eccleſiaſtica Perilluſtri ac ſumme Venerabili MOſHEMIO, in vniuerſali & ſpeciali imperii Romano Germanici B. KIPPINGIO operam nauauit. His ſubſidiis inſtructus iuriſprudentiæ ſtudio ſe dedit & tam publicis quam priuatis ſcholis B. KREſſII B. Dn. de GOEBEL B. CONRADI B. KIPPINGII & meis etiam prælectionibus interfuit. Anno MDCCXLIII. cum redditum ad patrios lares iam paraſſet; Illuſtris Dominus de RNETZ, illi ephoriam ſui filii concedidit, cum quo non ſolum in hac Academia triennium tranſegit; verum etiam cum Eo Anno MDCCXLV. ſollenni coronationis actui Inuiſtiffimi & Auguſtiſſimi Imperatoris FRANCISCI I. interfuit; quo peracto per vrbem Moguntiam ad exercitum fœderatum, qui ad vrbem Heidelbergam caſtra poſuerat, iter fecit, aliisque celebrioribus Germaniæ ciuitatibus luſtratis Helmſtadium rediit. Anno MDCCXLVI. vt ſummi in vtroque iure honores petendi licentia ſibi conferretur, ab ordine Iuriſconſultorum in hac Academia petiit, votique ſui compos factus



xxx

die XXX. Septembris præfide tunc temporis Decano B. CONRADI dissertationem inauguralem: de modo seruando in legatorum piorum interpretatione ad C. 38. §. vlt. D. de aur. & arg. legato publice defendit, & Licentiatius iuris vtriusque creatus fuit. Anno MDCCXLVII. cum Generosissimo RHETZIO Gœttingam missus numeroque ciuium Academicorum Prœfatore ALBERTO HALLERO inscriptus, ibi in studiis historicis philosophicis atque humanitatis Excellentissimos viros K ÒHLERVM, GESNERVM, HOLLMANNVM, in iure vero illustres doctores WAHLIVM, SCHMAVSSIVM, BÖHMERMVM, CLAPROTHVM sectatus fuit. Tandem a SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO DOMINO CAROLO DVCE BRVNSVICENSIVM AC LVNEBURGENSIVM Academiae huius Nutritore indulgentissimo, munere Adiuncti ordinis iurisconsultorum clementissime ornatus, Helmstadium redux factus est. Vt etiam quod SILEMANNIANI stipendii leges iubent profectus specimina ederet, Anno MDCCXXI. orationem de memorabilibus, quæ anno sæculi huius quadagesimo acciderunt, publice recitauit, atque sub præsidio, B. CONRADI dissertationes *de iure Quiritium a ciuitate Romana non diuerso Anno MDCCXLII. & statum naturalem Hobbesii ex corpore iuris ciuilibus profigatum ac profigandum Anno MDCCXLIII.* ab opponentium argumentis asseruit; Gœttingæ vero dissertationem ad L. 3. C. de profess. & medic. edidit.


Habetis sic Candidatorum, ad summos in Iure honores euehendorum, vitarum curricula, quæ vel sola fatis



XXXI

fatis docent, quam digni sint vt Pileis seu Birretis Do-  
ctorum, ritu solemniori ornentur. Pro ea itaque qua  
nunc polleo auctoritate, hos dignissimos Iuris Candi-  
datos, publice Doctores creabo & proclamabo. Diem  
huic festiuitati dixi XVIII. Octobris.

Vt itaque Spectabiles Facultatum Decani, Patres  
nostræ Academix reliqui, Fautores & Patroni studio-  
rum omnium & cultores Iurisprudentiæ, denique Ci-  
ues almæ Iuliæ Carolinæ huic actui interfint, precor,  
oro atque contendo. P. P. Hemstadii  
die XVI. Octobris Anno  
MDCCXLVIII.





AB 153 258


ULB Halle 3  
003 137 260



5b.

R







30

af

DE  
COMMODIS

QVAE  
E PACIFICATIONE WESTPHALICA  
IN THEOLOGIAM REDVN-  
DARVNT

PAVCA DISSERIT  
SIMVLQVE  
AD PROCLAMATIONEM SOLEMNEM  
TRIVM IVRIS VTRIVSQVE DOCTORVM

D. XVIII OCTOBR. MDCCXLVIII  
INSTITVENDAM

PATRES ACADEMIAE VENERANDOS  
STVDIORVM OMNIS GENERIS FAVTORES ET PATRONOS  
CIVES ACADEMIAE GENEROSISSIMOS ET  
NOBILISSIMOS

DECENTER OFFICIOSE ET HVMANITER

INVITAT

IO. GEORG PERTSCH ICTVS

ACAD. IVLIAE CAROLINAE H. T. PRORECTOR  
SERENISS. DVICIS BRVNSVIC. ET LVNEBVRG. CONSILIARIVS  
AVLICVS CVRIAE PROVINCIALIS ADSESSOR ORDINARIVS  
GRDINIS ICTORVM SENIOR ET NVNC DECANVS ATQVE  
AD HVNC ACTVM CLEMENTISSIME NOMINATVS  
PROCANCELLARIYS.

9 30

